

nem ad objectum, et privationem, vel positionem in ordine ad illud, et non solum informationem subjecti, habitus autem solum informat subjectum, et ponit in eo inclinationem et non actu se explicat erga objectum, ideo contrarietas habituum non tanta est, sicut in actibus, nec tam perfecta.

Dico ULTIMO: In gradibus remissis naturaliter possunt esse qualitates contrariæ, si alias inter illas non sit essentialis oppositio, et prærequisita ex parte subjecti, ut recipiatur qualibet illarum formarum. Sumitur hæc conclusio ex D. Thoma quest. viii de Verit. artic. xiv, ubi inquit: « Quod quando sint formæ in fieri, possunt esse simul, ut dum aliquis dealbatur, adhuc est in nigredine. » Dum autem est in gradibus remissis adhuc est in fieri, quia adhuc deest aliquid acquirendum. Et 1 p. q. lxxvi, a. iv, inquit: « Quod in mixto sunt qualitates contrariæ; » constat autem illas esse temperatas, et remissas. Ratio autem sumitur a priori, et a posteriori. A priori, quia istæ formæ habent latitudinem in crescendo, ergo etiam in expellendo: ergo aliquid contrariæ formæ potest esse, antequam alia opposita sit totaliter expulsa, et sic nisi aliquid obstat ex parte subjecti per modum incapacitatis, et repugnantiae, ut diximus, quantum est ex vi formæ habentis latitudinem, non repugnat, quod contraria forma paulatim, et cum aliqua latitudine intret, et sic non totaliter excludat aliam, sed in aliquo gradu cum illa compatitur. A posteriori autem id constat, ex mixtione, et mutua actione et reactione; hæc enim non salvantur, si qualitates contrariæ compatibles non sint in gradibus remissis, nam mixtio esse non potest, nisi maneat formæ elementorum in mixto non substantiales sed accidentales reductæ ad temperamentum; illud

autem sunt contrariæ. Item non potest actio et reactio dari, nisi agens habeat formam, qua agat, et recipiat oppositam qua patiatur, ergo tunc debent esse qualitates contrariæ in subjecto, et non in gradibus intensis, quia ipsa actione, et reparatione, debilitantur et temperantur, ergo in remissis, vel saltem una in gradu intenso, et altera in remisso.

*Solvuntur argumenta.*

Primo arguitur: Ad probandum repugnare, quod duo contraria possint esse simul in eodem subjecto in gradibus intensis etiam de potentia absoluta, quia hoc implicat, ergo. Antecedens probatur, tum ex Aristotele iv Met. text. xxvii, dicente: « Quod cum fieri non possit, quod contradictoria de eodem simul sint vera, perspicuum est, neque contraria simul in eodem esse posse. » Tum etiam ratione, quia in uno contrario includitur privatio alterius ex propria natura talis contrarii, privatio autem est negatio formæ in subjecto apto, ergo unum contrarium non potest esse cum altero, sicut nec privatio cum forma opposita, præsertim, quia posita illa forma in subjecto, non potest impediri ejus effectus formalis, quorum unum est privatio. Confirmatur, quia ipsa informatio unius contrarii est formalis etiam expulsio alterius, et non effectiva, siquidem una forma non expellit aliam nisi in genere causæ formalis, et consequenter ipsa informatio est expulsio, ergo simul cum tali informatione non potest stare alterius contrarii informatio, alias esset simul informans, et expulsus, quod est esse informans, et non informans.

Respondetur quod contraria includunt oppositionem contradicto-

riam, aut privativam non primo et per se, sed consecutive et secundario, quia sequitur ex informatione unius exclusio alterius. Et ad probationem ex Aristotele respondetur, quod intelligitur de contrariis secundum effectum secundarium, qui est expulsio, secundum quem bene sequitur, quod non possunt contraria simul inesse, quia includunt in se contradictoria, mediate scilicet et secundario, non primario, ut dictum est. Unde subdit ibi Aristoteles: « Quod impossibile est contraria simul eidem inesse, sed aut ambo secundum aliquid, aut alterum secundum aliquid, alterum simpliciter. »

Fatetur ergo quod secundum aliquid, id est, secundum gradus remissos possunt simul inesse, licet non perfecte, et secundum gradus intensos. Ad probationem vero ex ratione dicitur, quod unum contrarium importat privationem alterius ex consequenti et secundario, potest autem divinitus impediri et separari, faciendo quod illæ duæ formæ tantum informant subjectum, quoad positivum, non quoad privativum. Unde illa privatio, si ponatur in subjecto, et de facto sit consecuta, privatum reddit illud forma opposita; sed nos dicimus fieri divinitus, ut non consequatur illa privatio, sed ponatur in subjecto opposita forma.

Ad confirmationem respondetur, quod informatio unius contrarii est expulsio alterius in genere quidem causæ formalis, non tamen primario, sed consecutive, et secundario, nam etiam forma in genere informandi habet suos effectus secundarios, sicut gratia habet pro effectu secundario reddere filium adoptivum quantitas extendere substantiam quoad locum; et tamen sine istis effectibus possunt istæ formæ reperiri divinitus. Similiter ergo contraria sine effectu privatio.

Secundo arguitur: Quia duæ formæ ejusdem speciei, et duæ formæ substantiales non possunt in eodem subjecto esse simul, ergo neque duo contraria in gradibus intensis. Antecedens constat ex præcedenti questione. Consequentia vero probatur, quia plus distant nigredo et albedo, quam albedo intensa et remissa, ergo magis repugnabunt esse simul. Confirmatur, quia non potest idem simul denominari a duobus contrariis, nec moveri duplici motu contrario. Si autem non repugnaret esse simul duo contraria ab utroque denominaretur subjectum, siquidem ab his informatur, et ad utrumque moveretur, siquidem acquirit illa, ergo repugnat esse duo contraria præsertim intensa in eodem subjecto, si enim intensa sunt, subjectum denominant.

Respondetur duas formas substantiales non posse esse simul propter rationem sæpius allatam, quia utraque dat primum esse, et simpliciter esse, et sic necessario supponit omnem aliam exclusam, quæ prima etiam sit. Formæ autem accidentales ejusdem speciei licet magis convenient specificæ et entitative, quam duæ contrariæ diversæ speciei, repugnat tamen quod sint simul in eodem subjecto, quia hoc ipso, quod sunt in eodem, non plurificatur, sed unum fiunt. Unde propter majorem convenientiam magis repugnat quod tanquam distincta et divisa in eodem subjecto sint; et multo magis, quod una sit intensa alia remissa, quæ istæ terminationes sunt oppositæ, et una importat exclusionem alterius, remissio enim importat talem gradum qualitatis sine ulteriori additione gradus, nam si ulteriorem haberet, non esset remissa; et sic repugnat simul conjungi cum intensa. Quod respectu qualitatum diversæ et contrariæ speciei non currit.

Ad confirmationem respondetur, quod denominatio fit a qualitate prædominante, ut dictum est, ut si sit calor ut sex, frigus ut duo, simpliciter denominatur calidum. Si vero per Divinam potentiam duoc contraria sint in gradibus intensis in eodem subjecto, utrumque denominabitur positive, non tamen cum privatione alterius, quia hæc impeditur divinitus, sic enim afficitur forma subjectam, quod non excludit contrarium, et sic denominabitur calidum et frigidum, non calidum et non calidum. De motibus vero contrariis, qui tendunt ad formas contrarias, dicimus esse eandem rationem ac de ipsis formis, quas acquirunt, et eo modo quo erunt illæ formæ compatibles, erunt et motus. Si vero sint contrarii motus penes accessum et recessum, si sit accessus et recessus circa eandem formam ut generatio et corruptio ejusdem, simul jungi non possunt. Circa diversas vero ut generatio unius et corruptio alterius, oppositi motus non sunt, sed potius connectuntur, licet in casu quo Deus conjungat duas qualitates oppositas, ita datur generatio unius, quod non corruptio alterius, siquidem simul conservantur.

Ultimo arguitur contra id quod dicimus: Quod in gradibus remissis naturaliter contraria esse possunt, nam contraria remissa vere sunt qualitates contrariæ: ergo eis convenit definitio contrariorum, hæc autem est, quod ab eodem subjecto se expellant, ergo etiam qualitates remissæ ab eodem subjecto se expellunt. Antecedens patet, quia alias si contrariæ non essent, tota contrarietas qualitatum consisteret in gradibus, non in ipsa substantia qualitatum. Confirmatur, quia qualitas remissa potest agere sibi similem, ergo expellere contrarium, sed non contrarium excedens, et intensum,

ergo remissum, ergo qualitatis remissæ ab eodem subjecto. Confirmatur secundo, quia alias sequitur, quod poterit subjectum denominari a duobus formis contrariis, verbi gratia, a calore, et frigore, et moveri motibus contrariis in gradu remisso, imo poterit aliquid summe calidum imprimere calorem intensum, v. g. ut sex, in frigidum ut duo, nihil destruendo de frigore, quia compatitur cum illo gradu caloris ut sex, frigus ut duo, ergo non expellit illud.

Respondetur quod contraria remissa habent contrarietatem imperfecto modo, et quasi in fieri, unde non exercent omnem rationem contrarietatis propter latitudinem, quam habet subjectum respectu utriusque contrario remisso. Et quando dicitur, quod contraria mutuo se expellunt, respondetur quod mutuo se expellunt actu, vel aptitudine, in aliquo enim statu, et gradu non se expellunt actu, sed compatiuntur in latitudine subjecti. Et cum instatur, quia alias contrarietas esset ratione graduum, non vero ratione entitatis, respondetur quod est ratione entitatis positæ in debito statu, et modo, ita quod ratio contrarietatis est in ipsa entitate, requiritur autem informatio, vel remissio, tanquam conditio et status, pro modo expulsionis, et sic non absolute se expellunt in quocunque gradu, sed quantum introducit de uno, tantum expellitur de alio in gradu sibi repugnanti, in gradu autem imperfecto non se expellunt.

Ad primam confirmationem respondetur, quod calidum in gradu remisso poterit agere sibi simile in subjecto, ubi non invenerit similem gradum caloris, sed tunc non expellet de frigore opposito nisi illud, quod repugnat ad introductionem talis caloris, et quia in gradu remisso illi non repugnat, si so-

lum invenerit frigus in gradu remisso, nihil de illo destruet. Si autem in gradu intenso tantum, de illo remittet, quantum requiritur, ut simul cum illo esse possit juxta naturam actionem, et reactionem, ut si sit calor ut septem, et applicetur frigidum ut quatuor, reducet illud ad mediocritatem ut sex, vel ut quinque et reliquum remanebit de frigiditate.

Ad secundam confirmationem respondetur illa inconvenientia non sequi, quia ut jam diximus denominatio non fit nisi a qualitate prædominante, et ita denominabitur in gradibus remissis non absolute calidum et frigidum, sed tepidum; motus autem contrarii non repugnant in gradibus remissis, sicut nec ipsæ qualitates, ut dictum est. Ad secundam inconvenientem respondetur, quod in illo casu, si subjectum est frigidum ut duo, sine aliquo alio calore, tunc calidum ut sex agit in illud frigus, et destruet quia licet gradus frigoris ut duo sint compatibles cum sex gradibus caloris, per accidens tamen, quia introducit calor per alterationem, et mutuam actionem, et reactionem, ideo destruet aliquid de frigore, et tandem consumet illud; hoc tamen est propter introductionem caloris illo modo factam; ex parte autem subjecti, non repugnat cum calore ut sex frigus ut duo loquendo in genere causæ formalis; si autem subjectum habeat frigus ut duo, et simul aliquid caloris, verbi gratia, ut cum vel duo, tunc calidum ut sex non expellet frigus, quia agere intendendo calorem, quamdiu compatitur cum frigore ut duo, non alterando et reagendo in frigus.

## ARTICULUS III.

*Quæ qualitates conveniant cuilibet elemento?*

Constat in quolibet elemento ad minus duas qualitates inveniri: videmus enim aquam esse frigidam et humidam, ignem calidum et siccum: difficultas vero est in duobus.

Primum, assignare cuilibet elemento quænam qualitas conveniat in summo, an vero duæ in summo convenire possint. Secundum, si utraque non conveniat in summo, sed una in gradu excellenti citra summum, an opposita istius conveniat ei gradu remisso pro ea parte latitudinis quæ illi deest usque ad summum, v. g. si convenit siccitas igni in gradu excellenti ut sex, an conveniat ei humiditas opposita ut duo.

Circa primum, sunt duæ probabiles sententiæ. Prima assignat unicuique elemento unam qualitatem in summo, aliam in gradu excellenti hoc ordine: igni calorem in summo, siccitatem in excellenti gradu: aeri humiditatem in summo, calorem in excellenti gradu; aquæ frigus in summo, humiditatem in excellenti gradu: denique, terræ siccitatem in summo, frigus in excellenti gradu. Quæ sententia valde communis est inter Philosophos, ut testatur Magister Bannez, hic libr. II, q. II, Conimbricenses lib. II de generatione. cap. III, q. IV, et expresse videtur teneri a Philosopho hoc libro II, text. XXIII. Secunda sententia specialiter tenetur a D. Thoma ibidem lect. III, in fine, qui affirmat calorem in summo convenire igni, frigiditatem terræ. Aer est magis humidus quam calidus, aqua vero est magis humida quam aer, sed non ita frigida sicut terra. Siccita

autem convenit magis igni quam terræ. Hæc tamen D. Thomas non omnino certo affirmat, sed probabiliter, nam etiam admittit, prima parte, q. LXIX, a. 1 ad quintum, secundum D. Basilium, terram habere pro principali proprietate, siccitatem. Quare secundum hoc, non convenit frigiditas in summo terræ, sed aquæ, quia non est aliud elementum cui conveniat.

Fundamentum primæ sententiæ sumitur ex duobus quæ supponit. Primum, quod cuilibet elemento aliqua qualitas in summo debet convenire. Secundum, quod nulli competunt duæ qualitates in summo. Primum patet, tum quia istæ qualitates primæ debent habere aliquod subjectum connaturale, et proprium, ergo illi debet competere talis qualitas in imperfectissimo gradu, qui naturaliter competere potest, siquidem ille sumitur per ordinem ad proprium et connaturale subjectum, tum quia si in elemento nulla qualitas inveniretur in summo, sed infra summum gradum, esset capax qualitatis oppositæ in aliquo saltem gradu. Primo, quoad illam partem quæ sibi deest usque ad summum, siquidem subjectum capax unius contrarii, est etiam capax alterius, nisi habeat illud in summo; deinde, cum quodlibet elementum habeat duas qualitates, si neutram habet in summo, habebit aliquid de qualitatibus contrariis, et sic habebit omnes quatuor qualitates, quod est proprium mixti, non elementi. Secundum probatur, quia alicui elemento, verbi gratia aer, non convenit duplex qualitas in summo, cum enim sit calidus et humidus, si calor competeret in summo, esset ita activus sicut ignis, et adhuc fortius, quia est densior. Eadem autem ratio videtur de uno elemento, ac de omnibus. Deinde, quia cum qualitas in summo sit dispositio ultima

ad formam substantialem, si competeret duplici elemento eadem qualitas in summo, v. g. siccitas quæ convenit igni, etiam terræ, esset in duobus eadem dispositio ultima ad formas diversas speciei, quod est inconveniens, quia ultima dispositio est propria ejus ad quod est.

Ex his suppositis infert hæc sententia, igni non posse convenire calorem et siccitatem in summo, ergo altera tantum qualitas debet convenire, et hæc est calor, cum ignis sit activissimus. Debet ergo siccitas alteri elemento convenire in summo, et non potest nisi terræ, tum quia de reliquis elementis aere, et aqua constat, quam parum sicca sint et quam fluida; tum quia per excellentiam vocatur arida, Genes. 1; tum quia maxime convenit terræ diffinitio siccæ, quod videlicet difficile terminetur alienis terminis, hoc enim magis convenit terræ quam aliis elementis. In reliquis elementis, aer non potest esse summe frigidus, tum quia alias nihil haberet de calore, cum sit excellenter calidus; tum quia parum haberet de levitate, cujus comas est calor, frigus autem densitatis, et gravitatis, ergo competet illi humiditas in summo, quod etiam definitio humiditatis testatur, scilicet quæ facile cedit terminis alienis, nihil autem facilius cedit et dividitur quam aer. Frigus autem in summo conveniet aquæ, tum quia non restat aliud elementum cui conveniat; tum quia aqua est magis contraria igni quam terra, cum ignis infra terram conservetur, non intra aquam, ergo cum ignis sit calidissimus, aqua erit frigidissima.

Fundamentum autem secundæ sententiæ sumitur ex qualitatibus terræ et aquæ, inde enim fit argumentum ad qualitates ignis et aeris. Nam quod terræ conveniat summa frigiditas deducitur ex duobus. Primo, ex maxima distantia a cælo, cu-

jus lux et motus est causa caloris, et ita quod naturaliter maxime distat a cælo, debet esse maxime expertus caloris. Secundo, quia etiam inter ipsa elementa, magis distat ab igne, et sic magis debet ei contrariari, sicut in situ, ita et in qualitate. Tertio, quia terra est densissimum corpus inter elementa maxime grave, proprium autem frigoris est constipare et condensare et gravitatem inducere, sicut e contra calor est causa levitatis et raritatis, et summum calidum, scilicet ignis est maxime rarum et leve, ergo maxime densum et grave, erit summe frigidum; imo si terra esset summe sicca, naturaliter esset redacta ad pulveres, quia summe siccum pulverizatur, ut docet Aristoteles hoc secundo libro, text. XLIX, et ibi S. Thomas lect. VII. E contra vero, si aqua esset summe frigida, esset naturaliter congelata, videmus enim crescente frigore aquam gelari, et indurari, cum tamen naturaliter sit fluida. Nec dici potest, quod gelu contingit in aqua aliquibus exhalationibus permixta, non in aqua pura. Contra enim est, tum quia mare est plenum istis exhalationibus, ratione quarum habet salsedinem, et tamen non congelatur; tum quia ad gelu non videntur conducere illæ exhalationes, et concreciones terrestres, imo aqua quanto subtilior est, et magis purificata et tenuis, facilius congelatur, frigus enim de se compressivum est partium fluidarum, quia fluidæ sunt magis coagulabiles, ergo remotis istis exhalationibus, vel saltem imminutis, quando aqua subtilizatur per ignem, et relinquatur ad gelu, melius congelabitur.

Quod vero aqua humidior sit quam aer, et consequenter in summo humida, deducitur tum ex effectu, quia ad sensum videtur magis humectari, et madefieri ab aqua, quam ab aere; tum etiam, quia aqua est

maxime terminabilis alienis terminis, ut docet Aristoteles IV Meteor. tex. XXIX, lect. VII, apud D. Thomam, et in hoc secundo libro de gen. text. XLIX, hæc autem est definitio humiditatis, quod sit terminabile alienis terminis; tum quia aer magis exsiccativus est, quam aqua, videmus enim res humectatas ab aqua, exsiccari ab aere, non e contra. Nec dici potest, quod aer exsiccet per accidens ratione exhalationum siccarum, quæ per illum sunt sparse. Etenim si aer ita esset humidus, non permitteret in se istas exhalationes siccas, sicut nec aqua illas permittit, humiditas enim nimis excedens corrumpet exhalationes siccas humectando illas, ergo si aer non corrumpit eas, ideo est, quia non est ita humidus, sicut aqua. Et similiter si aer exsiccet ratione caloris consumentis humidum, cur non etiam consumet humiditatem propriam, sicut viventia ratione caloris, proprium humidum consumunt? Denique, pisces qui sunt in aquis humidiores sunt, quam volucres quæ sunt in aere: humor etiam phlegmaticus, qui correspondet aquæ maxime humidus est inter omnes humores, ergo et aqua inter omnia elementa.

Quod si semel terra non habet summam siccitatem, neque aqua summum frigus, restat quod summam siccitatem attribuamus non aeri, qui satis humidus apparet, sed igni, aeri vero attribuamus frigus, et humiditatem in gradu excellenti non in summo. Atque ita unum elementum, scilicet ignis habebit duas qualitates in summo, aliud vero sibi immediatum, scilicet aer neutram habebit in summo. Reliqua duo elementa habebunt alteram in summo, alteram in excellenti gradu, ut dictum est.

Utraque hæc sententia probabilis est, et in D. Thoma utraque habet

fundamentum, et ut vidimus, et utriusque argumentis facile responderi potest, ut inter arguendum insinuatum est, cum enim elementa non videamus in sua totali puritate, sed inter hæc corpora, quibus facile admiscerentur, non possumus ex sensu, et experientia, sed solum discursu probabili, rem hanc indagare.

Circæ secundam difficultatem, scilicet an in elementis detur aliqua qualitas remissa contraria illi, quæ est in gradu excellenti, v. g. si in terra est frigus in excellenti gradu, sit aliquid caloris, respondetur hoc debere decidi juxta opiniones jam relatas in præcedenti difficultate. Nam qui tenent in elemento posse dari duas qualitates non in summo, consequenter tenentur asserere, nihil de oppositis qualitatibus dari in eo, quia si darentur oppositæ qualitates, omnes quatuor qualitates essent in uno elemento, quod tamen est proprium mixti. Et præterea, etiamsi ponatur una qualitas in summo, et alia in excellenti gradu remisso, tum quia ideo Aristoteles docet in hoc secundo libro, text. xxv et xxvi, facilius generari unum elementum ex suo symbolo, quam ex dissymbo, quia in elemento symbolo solum una qualitas debet corrumpi, in dissymbo autem duæ, ergo si darentur in quolibet elemento tres qualitates tot deberent corrumpi in symbolo, quot in dissymbo, nempe duæ contrariæ, altera in gradu excellenti, altera in remisso, licet in elemento dissymbo intensius inveniatur qualitates corrumpendæ, quam in symbolo. Imo omnia elementa essent symbola, quia in omnibus dabitur aliqua qualitas, in qua conveniat cum alio elemento, ubi autem est convenientia est symbolizatio. Nec obstat, quod conveniat in qualitate remissa, quia hoc non tollit convenientiam illam esse veram, er-

go et veram symbolizationem. Quod tamen opposita sententia existimat non urgere, quia elementa symbola, ut sequenti articulo dicitur, consistunt in hoc, quod sint similia, non quomodocunque, seu in qualitate aliqua prædominante, non in qualitate remissa. Quam sententiam defendit Rubio hic tract. de primis qualitatibus quæstion. ix, Carmelitani disput. x, quæst. i, et alii.

Opposita sententia a plerisque defenditur, de qua videri possunt Comimbresenses lib. ii de gener. c. iii, q. v, Astudillo q. iv, et alii. Et revera habet fundamenta satis efficacia, quia corpus, quod est capax unius contrarii, est capax alterius, nam etiam elementum habens aliquam qualitatem in summo potest aliquid recipere de opposita saltem via corruptionis, ut cum aqua amittit aliquid de frigiditate, et calorem admittit, ergo si in statu naturali postulat aliquam qualitatem non in summo, etiam in eodem statu erit capax oppositæ in gradu remisso. Nec potest dici, quod non habet de facto talem qualitatem remissam, ne diminuat aliquid de illa qualitate, quam habet in summo, nam si ignis, v. g. haberet aliquid de humiditate, etiam propter eam calor diminueretur, et aqua habens summam frigiditatem, si haberet aliquid siccitatis oppositæ humiditati semper esset congelata, et non fluida. Sed contra est, quia activitas caloris non remittitur nisi per suum contrarium, illa autem humiditas parva, et remissa nihil obest calori, nisi aliquid tollat de siccitate debita igni, nam si nihil tollit remanet tota dispositio naturalis ignis, non tollit autem de siccitate debita, quia si ignis petit siccitatem citra summum, verbi gratia, ut sex, quod habeat humiditatem ut duo, nihil tollit de gradu ut sex, si autem de illo tolleretur, impediret rationem ignis,

non quia esset contra calorem, sed quia contra siccitatem debitam. Aqua autem non congelatur ob siccitatem nativam, quam habet in gradu remisso, sed ob admixtam, et extraneam, quæ facit quasi glutinosam materiam, et consequenter congelationem. Denique, si elementum habens qualitatem in gradu excellenti, verbi gratia, ignis siccitatem ut sex, non haberet oppositam qualitatem in gradu remisso, posset illa siccitas crescere usque ad octo in instanti, siquidem caret contrario. Non sufficit autem ad successionem motus ipsa latitudo intentionis, sed etiam requiritur contrarietas vincenda, ut patet in luce, quæ admittit latitudinem intensiois, et tamen fit in instanti, quia caret contrario. Unde aliqui oppositæ sententiæ dicunt, quod solum ab extrinseco ille motus erit successivus propter resistantiam formæ substantialis, quæ non potest corrumpi, nisi dispositiones aliæ introducantur, quæ per motum debent fieri. Sed hoc est, quod ista sententia conatur inferre tanquam inconveniens, quia si non est resistantia, non erit successio in introducenda dispositione, nec ab intrinseco motus erit successivus, sed per accidens. Quare utraque sententia (ut diximus) eam habet probabilitatem, quam sententia relata in prima difficultate, et juxta illas, altera defendenda est ex istis.

#### ARTICULUS IV.

*Quomodo detur transitus de uno elemento ad aliud, tam in symbolis, quam in dissymbois?*

Duo sunt supponenda, et in duobus aliis est difficultas. Primum quod supponimus est, quod elementa illa dicuntur symbola, quæ habent convenientiam in aliqua qualitate, dis-

symbola vero quæ non habent, ex Aristotele in hoc secundo libro, text. xxv. Intelligitur autem quod habeant convenientiam in aliqua qualitate prædominante, nam si solum conveniunt in aliqua qualitate remissa in aliis vero intensis disconveniunt, major erit disconvenientia, quam convenientia: et ita simpliciter dicentur esse dissymbois, et disconvenientia, et secundum quid convenientia. Secundo, est certum quod tam symbola, quod dissymbois elementa possunt ad invicem transmutari unum in aliud sive mediate, sive immediate, siquidem habent materiam communem et capacem omnium illarum formarum.

Difficultas vero prima est, an unum elementum immediate possit transire in quodlibet aliud, an vero prius debeat transire in aliquod mixtum vel saltem in elementum magis symbolum, quam in magis dissymbois. Et ratio dubitandi est, quia terra, et aqua, v. g. non possunt transire ad invicem, nisi prius utraque qualitas aque, v. g. remittatur, ut enim corrumpatur prius debent qualitates remitti, cum paulatim, et successive destruantur. Cum ergo remittitur frigiditas, et humiditas aque, prius pervenitur ad gradum ut quatuor per introductionem caloris, et siccitatis, quam perveniat ad calorem ut octo, destruendo totam frigiditatem, ergo in illo puncto, in quo miscerentur omnes illæ quatuor qualitates generatur mixtum, antequam transeat ad contrarium elementum, siquidem remittentibus se illis qualitatibus, oppositæ quoque introducuntur ut remissa, et temperate, et consequenter ut deserviunt ad mixtum.

Secunda ratio dubitandi, quia non potest fieri immediatus transitus de uno elemento ad aliud, etiam

inter elementa symbola, ergo a fortiori neque inter dissymbola. Antecedens patet, quia inter terram, et ignem, v. g. quæ sunt symbola in siccitate requiritur quod illa densitas terræ transeat in magnam raritatem, quod non potest fieri immediate, siquidem prius debet attingere eam raritatem, quæ est in aqua, quam eam quæ est in igne, quia major est. Inter elementa autem dissymbola ut ignem, et aquam aqua calefacta non transit in ignem nisi prius attenuata, et resoluta in vapores, atque adeo prius transeundo in aerem. Horum ratio est, quia de extremo ad extremum non fit transitus in qualitatibus nisi per medium, ergo cum elementa dissymbola sint extrema, non fit in eis transitus, nisi per aliquod medium, præsertim secundum densitatem, et raritatem.

Secunda vero difficultas nascitur ex priori, quomodo dixerit Philosophus in hoc secundo libro, text. xxv, quod facilius est transitus inter elementa symbola, quam dissymbola. Contra enim est, quia hæc transmutatio fundatur in contrarietate elementorum ad invicem, et activitate transmutantis, sed inter dissymbola est major contrarietas, cum contrarietur secundum duplicem qualitatem, et consequenter duplici activitate agant, ergo non minus convertetur elementum dissymbolum quam symbolum, quia si in hoc una tantum qualitas agit, in illo duplex, et aliquando est major activitas, ut cum ignis agit in aquam per calorem, qui maxime activus est, facilius ergo convertetur aqua in ignem, quam in aerem. Et sic experientia videmus, quod guttæ aquæ injectæ in ignem facilius convertuntur, quam parvæ particule terræ, et tamen terra est symbola igni.

Nihilominus ad primam difficul-

tatem respondetur ex quolibet elemento posse immediate generari aliud, et non solum mediate. Aliqui oppositum sentiunt, tum generaliter de quolibet elemento, ut aliqui apud Toletum in hoc libro, q. viii, tum specialiter de elementis dissymbolis, ut Rubio tract. de generat. elementorum, q. i, cum aliis quos citat. Nostra tamen resolutio est expressa D. Thomæ hoc secundo libro, lect. iv. §. Prosequitur, ubi concludit: « Universaliter manifestum est, quod quodlibet elementum ex quolibet generatur; » et hæc ipsa sunt verba Aristotelis ibidem text. xxiv. Nec sufficit dicere, quod quodlibet elementum ex quolibet generari possit mediate, non tamen necesse est, quod immediate generari possit ex quolibet. Hoc inquam non sufficit, quia hæc ratione etiam dici potest, quod quodlibet mixtum quantumcunque perfectum saltem mediate potest generari ex quolibet, et tamen non dicimus, quod homo potest fieri ex lapide. Nec tamen nos dicimus semper ita contingere, quod ex quolibet elemento fiat aliud immediate, sed quod potest ita fieri, neque ex vi suæ dispositionis repugnat, atque ita non se habet sicut animalia, quæ naturaliter ad sui transmutationem exigunt transire per diversas formas, et generationes ut advertit S. Thomas question. iii de Potent. articul. ix, hoc enim elementa non exigunt ex natura sua, sed potest immediate fieri transitus de uno elemento ad aliud nisi per accidens ex debilitate agentis aut ex alio impedimento oppositum contingat, sed ex se potest esse tanta activitas elementi supra aliud quod immediate illud in se convertat, sicut si in maximum ignem injiciatur gutta aquæ. Et ratio est, quia elementa etiam dissymbola non habent qualitates ita consistentes in proportione quod ea convenientia et

proportione remota, amittant formam suam, sicut viventibus, sed habent pro dispositione qualitatem in tali intensione, quod etiamsi removeatur ab illa, non statim amittant formam substantialem, sed potest a contraria qualitate intensi alterari quousque generetur aliud elementum contrarium, sicut patet in aqua quæ retinet formam elementi etiamsi nimium calefiat, aut evaporetur, quousque tota resolvatur in aliud elementum, ergo non est necessarium, quod in transitu de una qualitate extrema ad aliam per qualitatem remissam, fiat amissio formæ elementalæ, et acquiratur forma mixti, vel alterius elementi symboli, sed potest conservari forma elementi, etiam amittendo de qualitate propria et acquirendo de contraria, quousque elementum contrarium sit genitum, nam tota illa remissio qualitatum non ponitur in elemento in tali temperamento, sicut requiritur ad mixtum, sed in illo, in quo adhuc compatitur elementum via corruptionis, ut magis explicabitur vobis de opposita argumenta. Et hæc est ratio Aristotelis et D. Thomæ ubi supra, quod quia omnia elementa habent contrarietatem ad invicem, ideo quodlibet elementum potest generari ex quolibet immediate, quia ratione hujus contrarietatis potest una qualitas, ita continue agere in aliam, quod vincat illam totaliter, et generet elementum sibi simile. Et licet contrariæ qualitates ad invicem agendo repantur, non tamen semper proumpunt in aliquod temperamentum permanenter factum sicut requiritur ad mixtum, sed una ex qualitatibus, quæ activior est, continue actionem in elementum, et tandem vincit illud.

Ad secundam difficultatem respondetur, quod per se loquendo, et ex natura rei, est facilius transitus

inter elementa symbola, licet per accidens possit oppositum contingere. Quod explicatur dupliciter; primo, quia elementa symbola non solum habent majorem convenientiam in ipsis qualitatibus primis, sed etiam in aliis, quæ juvant ad modum habendi illas, sicut aer non solum convenit cum igne calore, sed etiam in raritate, ratione cujus facilius recipit impressionem ignis quam aqua, imo quam aliud elementum etiam symbolum ut terra. Secundo, id explicatur ratione ipsius contrarietatis inter qualitates primas, quia licet in elementis dissymbolis pugnent duæ contrariæ qualitates contra duas, in symbolis vero una tantum, tamen non aequalis activitatis sunt illæ duæ, neque ita facile utraque operatur, sicut quando sola una qualitas alteri contrariatur, sicut ignis contrariatur aquæ secundum calorem, et siccitatem, sed difficilius siccitas ignis tollit humiditatem aquæ quam humiditas aeris; tum quia humiditas aeris est rarior, et sic minus resistens; tum quia magis juvari potest siccitas ignis a calore sibi conjuncto respectu aeris, quam respectu aquæ, cum in aqua occurrat utraque qualitas circa sumum oppositum in gradu summo, aut excellenti, in aere vero solum occurrat circa unam, et ideo juvari potest ab altera in sui introductione, nam etiam calor conjunctus siccitati ad ipsam siccitatem citius introducendam juvat; tum denique quia siccitas, non ita activa est, sicut calor, et ideo lentiori modo agit in humiditatem, quam calor in frigus. Itaque duæ qualitates quando utraque habet suum contrarium, in quod agit, non ita se juvant ad invicem sicut quando una tantum qualitas occurrit. Nec tamensempet ista facilitas transmutandi elementum symbolum aquæ reperitur, sed potest aliquando impediri, vel pro-

plermajorem densitatem, vel propter minorem activitatem qualitatibus symbolæ, nam terra, v. g. licet sit magis symbola cum igne ratione siccitatis quam cum aere, difficilius tamen transmutat in se ignem, quam ignis terram, vel etiam quam ipse aer, aut aqua terram transmutent, quia siccitas terræ parum est activa et ejus etiam densitas difficilius generatur.

Ad rationes dubitandi pro prima difficultate. Ad primam respondetur, quod aliquando activitas elementi agentis est tantum circa elementum, in quod agit quod fortiorum imprimi qualitatem, quam requiratur ad temperamentum mixti, ut cum in magnum ignem injicitur gutta aquæ. Deinde, dicitur quod etiamsi paulatim remittantur qualitates unius elementi, et introducantur oppositæ, non est necesse, quod statim corumpatur, et generetur mixtum, ut probatum est exemplo aquæ nimium ferventis, quæ tamen non habet calorem ut octo, et consequenter aliquid de frigore retinet, et similiter de humiditate, et siccitate, neque enim generatur mixtum ex quocunque qualitatibus concursu, sed ex tali temperatura, quæ habeat modum permanentis, non mere transeuntis ad aliud elementum. Et sic elemento non conveniunt quatuor qualitates in suo naturali statu, et ex propria natura via autem, corruptionis non repugnat.

Ad secundam respondetur similiter, quod elementa densiora, cum rarefiant, possunt prius pervenire ad raritatem elementi mediæ, quam extremi, non tamen necesse est, quod amittant formam propriam, et transeant in elementum medium, sed sub illa raritate possunt adhuc retinere formam suam, in statu tamen non naturali, sed via corruptionis, illam enim raritatem habent per modum transeuntis. Et sic argu-

mentum non probat prius debere elementum medium, v. g. ex terra aerem, quam ignem, sed prius debere accipere statum medium, sub forma tamen terræ attenuatæ per modum exhalationis, aut quid simile, et via corruptionis tendentis; et similiter aqua attenuatur in vapores, qui tamen substantialiter sunt aqua, siquidem concrecente frigore aqua fiunt, et ita illa attenuatio nondum constituat aerem, sed via corruptionis convertit aquam.

Ad argumenta secundæ difficultatis respondetur ad primum, quod transmutatio fundatur in contrarietate requisita inter terminos in principio transmutationis, quatenus requiritur recessus a termino a quo, et accessus ad terminum ad quem, sed tamen facilitatio transmutationis fundatur in majori convenientia, quatenus ponit minorem repugnantiam ex parte impedimentorum, quibus retardatur accessus ad terminum ad quem. Ad secundum dicitur, quod licet sint in elementis dissymbolis duæ qualitates contrariæ contra alias duas, non tamen æquali activitate, et modo, tum ex parte raritatis, vel densitatis, tum ex eo quod altera est minus activa, tum quia non se adjuvant mutuo, sicut quando una sola qualitas est vincenda. Quod vero etiam in elementis symbolis non solum duæ, sed etiam omnes qualitates sunt corruppendæ, id est, per accidens propter desitionem subjecti, non propter contrarietatem qualitatibus, quæ per se conducunt ad faciliorem, vel difficiliorem transmutationem. Ad ultimum dicitur, non fieri æqualem comparationem inter particulam terre et aquæ injectam igni, quia ista densior est quam illa, sed si attenuetur particula terre per exhalationem tanta tenuitate sicut aqua, facilius converteretur ab igne.

Quomodo vero ex duobus elemen-

tis possit vel non possit generari aliud tertium, non est difficultas tanti momenti, nam per se, et in quarto modo semper unum elementum generat sibi simile. Per accidens autem potest aliquando ex contrariis elementis unum tertium generari propter aliquod impedimentum generandi proprium, licet in elementis symbolis id, aut vix, aut nunquam contingat, eo quod qualitates symbola unius intenditur ab alia symbola, non expellitur. Videatur Aristoteles hic text. xxxix et D. Thomas lection. iv, M. Bannez quæst. iii et alii interpretes.

#### QUÆSTIO XI.

DE MIXTIS, ET TEMPERAMENTO EORUM.

##### ARTICULUS PRIMUS.

*Quæ sint mixta perfecta, quæ imperfecta, et quod temperamentum eorum?*

Mixta generaliter loquendo sunt ea corpora, quæ ex elementis fiunt tanquam ex simplicibus corporibus: atque ita omne corpus quod non est elementum, sed ex elementis dicitur mixtum quasi ex illis compositum, et aliud dicitur perfectum, aliud imperfectum. Quod multipliciter intelligi potest. Primo, ratione diversorum graduum, sicut perfectiora sunt viventia non viventibus; et inter viventia, sensitiva sunt perfectiora, et inter sensitiva datur etiam magna latitudo secundum quod magis vel minus participant de sensibus. Vel secundo dividi potest perfectio, et imperfectio mixtorum, secundum quod magis, vel minus elongantur a corpore simplicis, seu elementalibus, et sic ea quæ pluribus corruptionibus indigent ut

resolvantur in elementa, perfectiora sunt, quia plus distant a potentialitate et imperfectione elementorum. Quæ vero immediate sunt resolvable in ipsa elementa imperfectiora mixta sunt, quia minus distant a simplicitate, et potentialitate elementis, et hac ratione mineralia, et quædam aliæ impressiones meteorologicæ dicuntur mixta imperfecta, quia immediate, vel quasi immediate sunt resolvable in ipsa elementa; licet revera aliqua ex his meteoris substantialiter sint elementa, quia eorum substantia est vapor, vel exhalatio, quæ substantialiter sunt terra, et aqua attenuatæ, aliquando vero sunt composita ex duobus solum elementis, vel tribus, ideoque hæc proprie dicuntur mixta imperfecta, de quo M. Bannez in lib. ii, c. iii, q. i. Denique, dicuntur mixta perfecta vel imperfecta, ratione status, scilicet quod est in fieri, et tendentia ad perfecti generationem, dicitur esse imperfectum ratione status, ut v. g. quando animalia generantur, et prius transeunt per formas imperfectas, v. g. per formam embryonicam ad formam equi, tunc enim dicitur animal esse in statu imperfecto, et in via, et tendentia, et similiter cum ex elementis sit transitus in mixtum, dicitur esse imperfecte mixtum, quia est in fieri, et tendentia.

Est autem commune mixti præsertim si perfecta sint, quod constet ex quatuor elementis, ut probat Aristoteles in hoc libro, text. xlix, lect. viii apud D. Thomam et nos jam supra probavimus q. v de mixture. Elementa autem non concurrunt ad mixtum, nisi ut temperata et modificata, et consequenter ut corrupta, utpote non habentia illam intensiorem qualitatem quæ invenitur in ipsis mixtis secundum se; quando autem non solum intensio illa qualitatis actu deest, sed nec radicaliter